

bingensis.

Melchior Volmarius honestis & bonis parentibus natus, Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo septimo. Hic à pueris animum ad studia & bonas artes discendas applicuit, atq; literarum fundamenta in Germania patria sceleriter iecit. Inde amore literarum sese Lutetiam Parisiorum contulit, & Philosophiæ operam dedit. In ea adeò profecit, ut inter centum (qui cum ipso Magisterij gradum petierunt & consecuti sunt) ipse procerum scholæ communi suffragio primum locum nactus fuerit. Postea quoque Legibus incubuit, & Doctoratus insignia in utroq; iure non minori cum laude consecutus fuit.

Erat insuper elegantioris sermonis in lingua Latina studiosissimus, atq; etiam Græcæ linguæ peritissimus. Itaque Vuirtenbergico duci respondisse fertur, se malle causam in foro Græcè, quàm Germanicè (licet natia lingua esset) agere. Cum autem Melchior Parisijs per tres annos ordinariè in Academia magna laude artes docuisset, in Germaniam redijt, & Tubingæ in magna auditorum frequentia optimos authores in Latina & Græca lingua per multos annos publicè exposuit: utpote Vergilium, Liuium, Pomponium Melam, Homerum, & alios huiusmodi, idquæ magna omnium admiratione. Tandem propter grauescentem ætatem rudi donatus Innam, Imperij oppidum, in Algauiam profectus est. Ibi uerbi diuini conciones diligenter & deuotè audiuit, atq; tandem apoplexiâ correptus, Anno ætatis suæ sexagesimo quarto, salutis uerò 1561 obiit, & honestè sepultus fuit.

Con. VVolf.